Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ut autem facilius cognoscatur quid in istis propositionibus dicitur: deus est homo, et homo est deus, et similibus; breviter predicendum est: quod ex illis duobus que filius dei suscepit, scilicet anima et carne, nulla persona hominis composita est. Tercium demum ex his duobus personam constituit cum principaliter in eo quod persona non est convenerunt, ut in ceteris hominibus assolet contingit. Quod si in ea que iam persona est ut in Christo fuit convenerunt, personam non utique facerent, sed tamen habentibus ab ea. Velut paries, tectum, et fundamentum si facte iam domui adhibeantur, non domum facerent, sed ab ea cui addita sunt tamen haberentur. Sic etiam baptismus baptizatum non mundat. Consecratio, ordinatio, dedicatio ea que iam illius participant secundo non auctumant, sed tamen adhiberentur. Sic quippe anima et caro adhibita sunt filio dei, velut indumentum membris. Item. Filius dei factus homo non ita essentialiter unitur quod esset ipsa composita essentia anime sue et corporis, sed essentialiter etiam vere factus est homo secundum habitum. Unde Augustinus: Deus filius pro nobis factus est verus homo, quia veram habet humanam naturam. (A.)

Hoc autem tractat Augustinus super locum illum: habitu inventus ut homo. Dicitur enim quatuor modis accedere aliquid ad aliquid, ut habeatur ab eo. Accedit autem aliquid alicui vel ita quod mutat et non mutatur, ut sapientia stulto; vel ita quod mutat et mutatur, ut cibus stomacho; vel ita quod non mutat nec mutatur, ut anulus digito; vel ita quod non mutat sed mutatur, ut vestis corpori. Quod genus congruit huic operationi. Deus enim filius semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, non suam mutans. Et sic in similitudine hominum factus est, verum hominem suscipiendo, et habitu inventus est ut homo. (Aug.) Sic autem dicitur ut homo, non homo, sicut caro illa dicitur non peccati sed similis peccati. (Ylari.) Cum ergo dicitur deus est homo, habitus ponitur ut sit sensus: deus habet hominem, vel est habens hominem, vel etiam persona humanata predicatur, quod Cassiodorus innuit dicens: factus est filius dei, ut ita dixerim, humanatus deus. (Cassiod.) Cum autem dicitur homo est deus, habitus subicitur, et natura vel persona ponitur, ut sit sensus: homo est deus, id est habens hominem est deus. Si autem factus in propositione ponitur, ut deus factus est homo, ita intelligitur, ut deus cepit habere hominem, vel humanatus deus esse. Item homo factus est deus, id est tercia illa persona cepit cum homine esse deus.

De predestinatione Christi.

Secundum hoc quoque facile est intelligere illud, quod predestinatus est ut sit filius dei in virtute. Filius enim dei predestinatus est, id est gratia ei est preparata, ut non sit filius dei, sed ut cum homine sit filius dei. Ut ita gratia attribuatur persone secundum naturam, velut si dicamus huic advocato gratia sit.